

perficialis basis ex trigonis confecta est. Trigona vero omnia e duobus initia habent, unum quidem rectum habentes et duos acutos etc. Et post pauca:²⁸ [341] Hoc vero ignis principium et aliorum corporum supponimus secundum consentaneam cum necessitate rationem procedentes. Nulla hic elementorum in materiam resolutio, nulla superficierum cum materia identitas, sed neque coniunctio. Vana ergo malignaque simul Aristotelica obtrectatio.

Sed cum Plato mox subdat:²⁹ *Horum vero principia desuper Deus novit et hominum is, qui illi amicus fuerit.* Illa quoque vanissima reddit, quae primo De elementis capite primo contra has superficies Aristoteles obiecerat:³⁰ *Deinde nimurum eiusdem rationis est solida quidem ex superficiebus composita esse: superficies autem ex lineis, has vero ex punctis.* Id namque in mathematicis forte verum fuerit, sed in naturae rebus Plato, et a quo ipse sumpsit Timaeus, non hoc autumant, sed superficies ex trigonis, non ex lineis faciunt: trigonorum autem principia Deo noscenda relinquunt, neque ulla est linearum aut punctorum tota ea satis longa tractatione mentio et futilis, ergo et vana Aristotelis obiectio, cum hac alia simul eodem capite:³¹ *Sed eo quod terra gravis sit et ignis levis,* erit etiam superficierum alia quidem gravis, alia levis, et linearum sane et punctorum similiter.

Nulla enim ibi mentio linearum, ex quibus superficies componantur; nulla punctorum, ex quibus lineae. At si maxime etiam ita ille assereret de punctis ac lineis, non tamen necessario haec aut gravia aut levia essent, principia tantum gravium et levium essent, quae nullo modo easdem cum iis, quae ex his conficiun-

²⁸ ταύτην δὴ [δὲ] πυρὸς ἀρχὴν καὶ τῶν ἄλλων σωμάτων ὑποτιθέμεθα κατὰ τὸν μετ' ἀνάγκης εἰκότα λόγον πορευόμενοι. [PLATO, Ti. 53.d.4 – 6]

²⁹ τὰς δὲ {ἔτι} τούτων ἀρχὰς ἀνωθεν θεὸς οἶδεν καὶ ἀνδρῶν ὃς ἂν ἐκείνω φίλος ἦ. [PLATO, Ti. 53.d.6 – 7]

³⁰ ἔπειτα δῆλον ὅτι [δηλονότι] τοῦ αὐτοῦ λόγου ἐστὶ στερεὰ μὲν ἐξ ἐπιπέδων συγκεῖσθαι, ἐπίπεδα δ' ἐκ γραμμῶν, ταύτας δ' ἐκ στιγμῶν. [ARIST. Cael. 299a.6 – 8]

³¹ ἀλλὰ τῷ τὴν μὲν γῆν εἶναι βαρὺ [βαρείαν] τὸ δὲ πῦρ κοῦφον, ἔσται καὶ τῶν ἐπιπέδων τὸ μὲν κοῦφον [βαρὺ] τὸ δὲ βαρύ [κοῦφον]. καὶ τῶν γραμμῶν δὴ καὶ τῶν στιγμῶν ὥσαύτως. [ARIST. Cael. 300a.4 – 6]